

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 34

IN NOMINE OMNIPOTENTIS DIE ET SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI
HLOTHARIUS DIVINA PRAEVENIENTE CLEMENTIA REX | DIGNUM EST UT
REGALIS SUBLIMITAS SACERDOTUM AC SERVORUM DEI UTILITATIBUS
TANTO BENIGNIUS AC LIBENTIUS FAVEAT, QUANTO EOS IN DIVINIS REBUS
STUDERE ET MORIBUS | concordari perspexerit. Idcirco omnium fidelium sanctae Dei
ecclesiae ac nostrorum praesentium videlicet et futurorum noverit industria, quia cum nos
beneficia regni nostri inter fideles nostros dignum distribuere iudicavissemus, contigit ut
necessitate compulsi, propter parvitatem ipsius regni, quandam | partem rerum ex
monasterio Stabulaus quod est in honore beati Petri apostolorum principis dicatum, quo
etiam sacrum corpus Remacli gloriosi confessoris Christi ejusdemque loci pii patroni
quiescit, beneficiario munere quibusdam fidelibus nostris concederemus, quandam vero
partem ad usus et supplementum inibi | Deo militantium relinqueremus, nostrarum que
serie litterarum confirmaremus. Sed ut ipsa concessio et justa sanccio perennem obtinere
valeat firmitatem, hoc nostrae mansuetudinis edictum fieri censuimus. Per quod statuentes
decernimus modisque omnibus sancimus, ut famuli Dei qui in praedicto coenobio amodo et
deinceps divinis | famulati fuerint cultibus, res inferius adnotatas nostris successorumque
nostrorum temporibus in eorum usus perpetuo jure teneant atque possideant, secundum
normam suae institutionis ordinent, disponant, et libero auxiliante Christo sine cujuslibet
potestatis contradictione vel demptione fruantur arbitrio. Id est: in comitatu Arduennensi |
villam quae vocatur Ledernaus, in pago Condruscio villam Ueruigium cum suis
appendiciis, id est Bainam et Uualthinam; in ipso pago villam Slenion et villam Siluestram
Cortem, in comitatu Laumensi villam quae dicitur Calco; in pago Hasbannio villam
Hurionem, item in pago Condruscio villam Hosoniam et locum qui apellatur Uilla, | in
Falminne pago villam Humnin, rursus in comitatu Arduennensi villam Graisdam cum
pertinentiis suis; item in Falminne locum qui dicitur Lomna, et in Strata mansum unum, et
in Bractis mansum dimidium, simulque inter ingenuiles et serviles mansos ducentos
quadraginta quinque, sedilia insuper in portu Hoio et Deonanto, | unde exeunt solidi triginta
duo. Nihilominus etiam confirmamus praefatis monachis villas has quae in praestariis
habentur per loca diversa, villam videlicet Carbool, villam Bragbanto, seu et in aliis locis
mansos viginti unum. Statuentes praeterea roboramus ut villa vocabulo Uuatlinio quam
Uuigfridus ministerialis | noster jure beneficiario obtinet, ilico ut ei a nostra munificentia in
quolibet loco fuerit reconpensata vel ipse prius rebus si excesserit humanis, ad dominium
eorum sub integro revertatur. Eodemque modo jubendo sancimus et regali auctoritate
indicimus, ut quicumque ex possessionibus sepedicti monasterii beneficia habent, absque
neglegentia | et tarditate de cimas fructuum ex mansis dominicatis ad hospitale ejusdem
coenobii dare contendant. Conferimus insuper eis ob exiguitatem vini cappellam quae est in
fisco nostro Crouio sita cum deciinis omnibusque ad se pertinentibus. Haec omnia pro
amore divino pio favore prosequimur, quatinus nostri genitoris ac genetricis nostrae
memoriam in eorum | sacris orationibus jugiter habeant dignasque preces effundant. Et ut
haec nostrae praeceptionis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subter
eam firmavimus et anuli nostri impressione assignari jussimus.

SIGNUM (L. M.) HLOTHARII GLORIOSI REGIS.

(C.) HRODMUNDUS NOTARIUS AD VICEM ERCAMBOLDI RECOGNOVI et (S. R. subscripsi. N. T.: Rodmundus notarius advicem Ercanbaldi recognovi et subscripsi, ipse magister fieri [jussit]). (L. S.)

Data id. april. anno Christo propitio regni domni Hlotharii gloriosi regis VII, indictione XI. Actum Nouo Castro in pago Leochensi, in Dei nomine feliciter. Amen. (N. T.: Amen).